IOANN. VAZ MOTTAE LVSITANI I. V. D.

ORATIO HABITA DIE VII. MARTII M. D. LXXXV.

CVM INCIPERET EXPLICARE LIB. TOPIC. M. TVLLII.

AD ILLVSTRIS. CARD. SIRLETVM
Patronum vnicum, & incomparabilem.



ROMAE,

Con Licentia de Superiori M. D. LXXXV.

Apud Iouannem Martinellum.

IOANN. VAZ MOTTAE LVSITANI I. V. D. ORATIO HABITA DIE VII. MARTII M. D. LXXXV.

NEC me pœnitet incœpti mei, nec exiguum operæ pretium fecisse arbitror, quod à principio huius anni eos libros M. Tullij susceperim ad explicãdũ, qui perelegãtes, per difficilesque, nec seria cuiusquam adhuc opera illuminati, opem sanè ab studijs meis non quidem deposcebant; sed sine dubio implorabant, precabanturque. Et profectò diuini ingenij, diuini sensus eisdem ipsis comprehensi vix ab his, qui doctrinæ nomen affectantes inepti, & insulsi homines miserorum adolescentum aures fatigant, & eos docendo nihil demum sapere docent, attingi poterant; quin ea volumina miserè fœdata multo etiam magis illorum commentationibus, quam barbarorum olim hominum Hunnorum Alanorum, Gotthorum (patiantur aures vestræ infamia hac, & operum æmula nomina) flammis, ferro, furore, inquinarentur. Sed illis forte quadam non improba euenit, vt admouere eisdem manus in animum ipse induxerim: Vobis verò non alienum prorsus à fœlicitate fuit quę in eos dixi à me audire potuisse: Et qui vel non audiuerũt; vel quum audirent non nimis animos aduertere, vt cætera supersint, pulcherrimorum certè illis intelligentia librorum, vberrimique ex eadem ad omne genus disciplinarum fructus amissi sunt. Longè enim abest vt corrupta eorum verear, profligataque iudicia, qui me mihi hac in re laudatorem esse indicabunt, idque ipsum minimè probandum arbitrabuntur: quippe qui miserum esse, & calamitosum semper censuerim, non habere quemquam quod gloriosè de se possit, ac magnificè prædicare: & is sim qui ex minutis huiusmodi rebus nec laudem quæram; & si quam mihi videor tribuere minimè id data opera faciam: Sed rem omnino, de qua ago ita vt se habet explicare coner, & proponere audientibus. Verũ quidquid illi sentiant (nec enim ipsorum de rebus meis iudicium tanti à me fieri par est, vt de hoc magnopere sollicitus esse debeam;) quem admodum in illo opere Marci Tullij de diuinatione explicando, multa in omni litterarum, ac disciplinarum genere breuiter illa quidem, & per capita tantum, præter omniũ tamen, qui easdem litteras, disciplinasque profitentur consuetudinem prodidi, & explicaui: ita in enarratione libri Topicorum eiusdem auctoris quem aggrediar in præsentia, & illa ipsa varietate rerum, exquisitaque indagatione sensuum ipsius quotidianas prælectiones condibo; & vni de duabus Dialecticæ partibus quæ adinueniendum pertinet; quæque quum non ad differendum modo

de quacunque te proposita, sed & ad eloquentiam comparandum summam omnino vim habeat; à paucis sanè percepta, à nemine quidem explicata est, quantum potero lucem adhibebo. Multoque minus ea mihi in re cuiusquam erunt reprehensiones formidandæ, qui si nihil aliud multorum saltem esse obijciat libros istos commentarijs explicatos. Quippe qui minimè huc veniam cu minutulis illis & plebeis acturus scriptoribus: Sed Ciceronem ipsum, sed Aristotelem, sed antiquos illos homines diuinos pene, & incomparabiles quoties oportuerit vocaturus in iudicium: & certè illos ipsos quos obijciet commentarios pene puer euoluerim, magna quidem diligentia, sed fructu perexiguo. Illi enim si à quoquam attingantur, Bone Deus, quam nihil omnino in tam multis chartis, & siqua erunt, quam ridicula quam inepta omnia? At mihi quidem non in illis solum, sed & in alijs, ita sæpius euenire consueuit, vt si antiquum aliquem auctorem mente designarem; multorum statim in eum scriptiones occurrerent, quibus abunde ipsum explicatum crederem; sed si attentius easdem inspiciebam, inannes prorsus reperirem, quaque darent, vt dixit ille, sine mente sonum. Qua ego in tædia non semel coniectus & non iniquo iam illa animo ferre assueui; & quid sit ab illis sperandum satis didisci; & miserorum adolescentum non possum non vicem dolere; qui quum per se ipsi iudicare de his nō valeant, importunis huiuscemodi ineptorum hominum vocibus decepti tempus sine fructu consumunt: quibus solatio interim esse poterit, non futurū quin infames hæ arrogantium, & insulsorum scriptorum chartæ daturæ pænas sint, viuant modo & pharmacopolæ, & salsamentarij. Et merito quidem, nam si quotidiana istorū in semitarios illos eruditionis mæchulos cessaret animaduersio, quæ quæso tandem foret calamitas vitæ huius, quæque infælicitas? obruimur quotidie scilicet librorum editionibus ab his publicatorum, qui quum nec dexteram nec sinistram suam norint, maximam se tamen confecisse rem arbitrantur, si ex indicibus auctorum quos habent, quosque vix intelligunt, minime certe legunt inconditam farraginem sibi consarcinent, proque libro illam publicent, & obtrudant, eoq́; sibi perinde placeant, & blandiantur, ac si tam esset in promptu doctis, & excultis doctrina hominibus, quam indoctis, & imperitis fucum facere. Nobilissimam igitur partem Dialectices, (quandoquidem nec differere quisquam, nec eloqui potest, quin prius inueniat) & natura ipsa iudicio quoque priorem non vulgari illam & præpostera, quam cæteri sequuntur ratione inuolutam potius quam explicatam; sed illius ipsius ordine naturæ, sed & facili & certa docendi, & discendi methodo digestam, abque difficultatibus euolutam tradam. Non committam videlicet (quod per multi & studiosi illi quidem, & probi, minus tamen ingeniosi homines facere consuerunt) vt in verba tantum modo magistrorum iurem; nec vel latum vnguem, quod illi faciunt, a vulgatorum auctorum, imò & a priscorum vestigijs discedam, nec quicquam aliud quam repetitam vobis crambem obijciam, atque eandem recinam cantilenam. Nec ego is certè sum, qui aut contemnam antiquos quarūcunque artium scriptores, aut temeritate & libidine quadam male dicendi impugnare

pugnare velim; quippe quum magni semper eos fecerim, ac per eorum sanè vestigia, ad quamcunque istam eruditionis laudem aspirarim. Sed ita video comparatum, vt ipse qui multum, diuque in eorum scriptis sim versatus, eaque penè hauserim,& inbiberim,reperiam in his quamplurima,in quibus eo rum sequi sententiam non sine nota ignorantiæ eius rei, de qua agunt mihi poßε videar. Quum pro illis interim,tamquam pro aris,& focis hi dimicent, qui ne à limite quidem ipsos salutarunt. Sed teneo, & perspicio mentem hominum, pietatem causantium, qua ad id faciendum compellantur: quasi illis verò cessurus is sit, cui religionis, parentum, patriæ, maiorum amor non verbis quidem, sed ipso sanguine consecratus, & sancitus sit; minimè vt cum his possit comparari, qui vel abiurata, vel contempta religione, prodito parentum, patriæ, maiorum iure, si nil turpius, patrios sanè cineres perminxere. Papæ, quæ ista est tum impudentia, tum ignorantia vt ab eius sibi auctoris sententia non discedendum quisquam contendat, quem vel non legit omnino, vel sanè non intellexit. Quid verò si rogemus,examinemusque parum per illos,Rhetoricæque vel dialectica, aut cuiusquam alterius facultatis rationes ab illis perquiramus, quid quæso facient, quam quod aniculæ pleræque solent,ea ipsa vt recitent,quæ ab alijs audiuere. Quæ vos in re si scientiam earū artium collocatis, tunc ego sanè poße quemquam de his rebus,quas quum nec percipiat,nec intelligat,memoriter tamen recitare potest, iudicare confitebor. Sed quum neminem futurum videam, tam præcipitem,ac deuium, tamque in media natum barbarie,qui ita arbitretur,pergam alacriter nimirum, ac tenebo eam viam,quam semel sum ingressus:eo sanè maximè,quod isthac à me omnia fundamenta ad eloquentiam modo iaciantur. Quam vobis quum tradere perfectam, & absolutam coner, qui quæso aliorum poßum vestigijs insistere? Nam quum præcepta eius vel ab antiquis omninò, vel certè sint à recentioribus petenda;apud hos quidem corrupta omnia, incerta, & insulsa: apud illos quamquam rectè,& præclarè inuenta & excogitata satis multa;non pauca tamen modo leuia,modo prolixè superflua,& haud quaquam necessaria; pleraque verò diuturnitate iam temporis obsoleta sunt,& antiquata;minimè vt sit progreßus vberes facturus qui non aliam inierit viam, vim & facultatem eloquentiæ comparandi. Quid tu verò mihi dices, si ostendero etiamsi perscripta recte omnia, & litteris mandata eßent,non id tamen satis esse poße ad quod volumus assequendum? quid si probare velim in studijs eloquentiæ, vt in his omnibus illarum artium quæ vel mores hominum ex parte aliqua respiciunt; vel ad eorundem officia mutuasque inter eosdem actiones spectant, minimum omnino illos poße qui vitam totam in solis libris contriuere, nec vel attigerunt Rempublicam,vel illa,quæ ad pacem,bellumque faciunt tractauere. Instituuntur in vmbraculis,exercenturque athletæ,sudant, colluctantur:Sed interim dū in aciem non prodeunt,dum pulueris,& solis immunes sunt,nihil sunt. Traduntur istæ libris & perscribuntur facultates,sed non ex libris,sine publicis actionibus addiscuntur. Addo etiam nec intelligere illa quemquam,quæ perscripta

libris

libris sunt; nec quæ ad illas pertinent libris rectè consignare potest qui insolens ipsarum rerum non nisi à mutis his, vel à loquacibus quibusdam, & proletarijs doctoribus illa edidiserit. Tu nimirum insuauis, & importune magistellè vel omnino pannosus, vel vnguentis sanè delibutus ex fumosa spelunca libellulorum quatuor, & quatuor literularum sagax in concionem productus vel ruentes in libidinem, auaritiam, ambitionem ciuium animos ad continentiam, liberalitatem, moderationem reduces: vel languentem plebem, & malorum suorum negligentem, inque seruitute ipsa, ac pernicie latam sui admonebis, & ad arma concitabis: furentem eandem, & arma proclamantem sedabis, & compesces. Tu ad cõspectũ, multitudinem & apparatum hostium exercitum trepidantem, paucitateque, & imbecillitate consternatum sua inflammabis; & oratione tua in gladios ipsos, tormenta, necem, vulnera compelles? Tu armato eidem, furenti, tumultuanti de manu tela extorquebis? Ab ore tuo fulmina, tonitrua: fulgura ab oculis, & flammæ vibrabuntur, quæ & concionem, Ciuitatemque permisceant, & animos audientium inflamment, incitent, incendant. Fallimini, fallimini, Auditores, si magistellorum hæc esse munera arbitramini. Multorum maiorum domestica exempla: Multa parentum pace, belloque præclare gesta: Multa hausta oculis in Republica; Multa etiam pertractata: multa gesta manu, & consilio: multa magnaque, & ad parendum dominis, & ad imperandum subditis animi constantia: multa conuersiones rerum: multi in vtramque partem euentus: multi labores: multa pericula: quotidiani metus: hausta mors sæpius, & non semel plane degustata: ebibita cum sudore aqua, cum cruore vinum: sanguis animosè profusus: excepta pectore vulnera aduersa: perdurantes adhuc, & conspicua cicatrices: lux oculorum non librorum tantum lectione, sed ferri etiam acie, sed elluuione sanguinis amissa: isthæc gignunt, alunt, augẽt, eloquentiam. Hac Paricles institutione Græciam quatiebat: hac armabat in Persas Themistocles: hac & alij ætatis illius summas res gerebãt. Hac Cæsar, hac Brutus, hac clarissimi quique artes istas comparabant. Et ille quidem collatis signis quinquagies præliatus; tot hostibus victis, cæsisque: immissis in extremos, & orbe pene diuisos Britanos Romano Marte: & Gallo sanguine, & Germano madens Quirites suos oratione flectebat, conuellebat Senatum, populũ perturbabat: Philosophabatur Brutus, declamabat, historiam scribebat, sed non ita, quin eodem tempore oppressam seruitute patriam in libertatem assereret; nec minus in se audacter ferrum, quam strinxerat in tyranni viscera, contorqueret. Quid igitur? Hic Roma pulsus cogit exercitus; conciliat sibi Vrbes, prouincias, Reges; continet in officio ipsos aduersarios; armat aduersus Cæsaris vindices non nisi milites ipsius Cæsaris; vincit denique; & vt cadat (quamquam cadit victor) ipsamet Respublica concidat oportet. Sed quo me rapit dicendi ardor? quo trahit illustrium penitus, & magnarum commemoratio rerum? Colligo me, promittam modo, daturum me operã vt hac vna ratione isthæc vobis pertractentur: laboraturumque, mihi sanè gratum vt sit, vobis verò & gloriosum forsan, & non iniucundum me primum in hac Vrbe Duce non iam studia quæ-

dam

dam turbida quodam modo, & torpentia, sine lumine ingenij, sine splendore rationum, sine intelligentia ipsarum rerum, quæ tractantur: sed vera, sed solida, sed non è marcescentibus chartulis mendicata, sed illuminata cognitione causarum, sed expensa momentis rationum, sed explicata methodo constanti; sed examinata iudicij pondere, sed denique humanarum & rerum, & actionum experientia comprobata, iuuentuti probæ & ingenuæ proponi, atque exhiberi. Quod quum circa inuentionem partem dialecticæs præstantissimam, oratoriæ verò ministram, & altricem facultatis præstitero: tum vel maxime in differẽdo de his exemplis, quæ de medio ciuili iure de industria Tullius deprompsit, multa eiusdem iuris abstrusa penitus principia, & recondita proferam in medium, enarraboque: vt ex facula, quam protendam quæ, & quanta audientibus, ipsique ciuili iuri, si ab homini vobis eius non ignaro explicaretur, emersura lux esset: quamque offundantur crassæ, & immensæ ab his tenebræ, qui rerum omnium imperiti in præclarissimam facultatem tamquam prostitutam irruunt meretricem, eandem vbique contaminant, & si Bartoli, aut Baldi dignorum ipsis voluminum columnellam è memoria tamquam psitaci pronuncient, Deos se putant; perspicere facilè, & intelligere possitis. Quo circa si incæpti me non pænituit, nec progressus vti arbitror pænitebit. Ac quando futurum erat vt à magnarum rerum meditatione, abque studijs summa gloria in hunc æstum detruderer, & ad hoc otium litterarium, quod quidem vsque adeò non contemno, vt in flagrãtissimo altiorum cogitationum ardore, & peracri, ambitiosaque fortasse contentione Ciuilium actionum ad id me aptum permanere potuisse, serio triumpho compellerer: euenisse id apud vos, quos omnino magni facio, & in hac præsertim Vrbe, cuius me splendor vt clarissimum, & optimum quemque semper cõsueuit in admirationem vbique sui rapuit, maximas omnino gratias diuino numini semper agam. At

O mihi præteritos referat si Iuppiter annos:

Vix enim non dolere possum haud magis huc integra valetudine, vegetioribusque viribus deuenisse: nec me præterit si earundem mihi pristinus maneret status, multo me exactius, multo maiori cum nominis atque existimationis meæ laude, & huic muneri satisfacturum, & vobis omnibus fuisse. Nam quum in reliquis alijs disciplinis non constans, & confirmatus solum animi, sed corporis etiam vigor requiritur: tum in eloquentia vsque adeò, vt sine eo manca planè illa, & exilis, seu vt dicam verius, omninò nulla sit. Verum quãdo in antiquum robur firmitatis restitui, non assequi modo arduum, sed & sperare difficile est, vtar eo, quo possum, præstaboque quod in me erit: alacritate certe, & animi cõstantia imbecillitatem corporis subleuaboque: vosque interim admonebo, vt inspicientes in me in Romam vestram inspiciatis. In qua posteaquam e maiestate tanta, tantoque Imperio nihil iam nisi ruinarum puluerem, ruderumque euanescentes etiam reliquias conspexeritis, flectite in me oculos, & semimortuum

cadauer

cadauer atque vmbram tantum hominis vno solummodo infracti animi vigore, vitæ speciem prætendentis: eodem conculcantis impetus fortunæ: sceleratissimorum eodem, eorundemque infamium hominum nefarios conatus reprimentis, intuemini. Atque ita si Romam, quod iaceat, quod sordeat, quod non imperet incusare non potestis; me quod iaceam, quod langueam, quod pene nullus sim, quod corpusculum tot curis, laboribus, vulneribus, exhaustum, lacerum, & absumptum vix sustineam, quod in munere isto, id quod poteram aliquando, præstare modo nequeam, haud incusetis. Erit autem fortassis (in quam me spem Pontificis optimi & sanctissimi diuina plane mens adducit) vt quemadmodum assurgere in dies Roma, & nitorem ac statum veterem reuocare beatissimi Gregorij ope, beneficioque videtur: ita eiusdem ego benignitate resurgam quandoque, & restituar. Ipse profectò nec laboribus, nec imbecillitati; nec importunitati sceleratorum hominum, quos & hucusque contempsi, & contemnam in posterum, quo vni scilicet consulatur vtilitati vestræ cedam, aut succumbam. Cuius mihi studij diligentiæque vt sit apud omnes fructus illustrior, petam à Vobis vt ipsum librum quem sum explicaturus diligenter cognoscatis, tum illos etiam quamquam nullo emolumento in mei tamen gratiam euoluatis, qui in illum commentarios edidere. Fiet enim vt quæ sunt illis tradita perlegentes, atque ea postea audientes, quæ hoc à me loco quotidianis prælectionibus adducentur, inire, vobiscum facile studiorum vestrorum rationem possitis, consideretisque diligentius intersit ne quicquam vestra & frequentes, & assiduos conuenire. Mea enim eo sane interest, quod vos amo vehementer, quodque nihil prætermitti velim, ex quo restitui antiquus huic Vrbi splendor possit. Nam gloriam ipse nec certe in hac extrema fortassis vitæ meæ parte summopere ambio, & si ambiam satis illa quidem, & studijs mihi ipsarum iam literarum, & his omnibus officijs, quæ ad probum atque excelsæ mentis hominem spectant, parta dudum, & comprobata est.

D I X I.